



Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

Burchardus <Wormaciensis>

Parisiis, 1549

Liber XII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10722

D. Burchardi

ECCLESIAE VVORMA-
censis Episcopi, de Periurio, De-
cretorum Liber XII.

ARGUMENTVM LIBRI.

Libro hoc de Iuramento & periurio, de iurandi facilitate
etiusque periculo, de que improbis iuramentis infringendis
agitatur.

Vt multiplicita genera iuramentorum extirpen-
tur. Caput I.

T multiplex iuramentorum & periuriorum *Ex cōcil.*
confusio, per quā multæ fidelium animæ in *Meldēsi,*
toto hoc regno perditæ esse noscuntur, quā *cap. 10.*
sit detestanda & Deo odibilis, attentus omni-
bus annuncietur. Tantum namq; hoc malum
est, vt ad sanctuaria martyrum vbi diuersorum ægritudines
fanantur, ibi periuri, licet manifestè interdum vexari non
videantur, iusto Dei iudicio à dæmonibus arripiantur. Et
sicut sanctus dicit Gregorius, ad horum corpora ægri ve-
niunt & curantur, & periuri à dæmonio vexantur.

De illis qui nomen Dei in vanū sumunt. Cap. II.

Habemus in lege domini scriptum: Non peierabis in *Ex dictis*
nomine meo, nec pollues nomen domini Dei tui, & ne *Hierony.*
sumimes nomen Dei tui in vanum. Ideo admōnendi sunt o-
mnes, vt diligenter caueant periurium, nō solùm in altari,
sensu sanctorum reliquiis, sed & in communi loquela. Item
caendum est, ne aliquis plus aurum honoret, quā altare,
ne ei dominus dicat: Stulte, quid est maius, aurum, an altare
quod sanctificat aurum?

De illis qui per cupiditatem periurium fecerint. Cap. III.

Si quis per cupiditatem peierauit, omnes res suas ven-
dat, pauperibus & distribuat, & monasterium ingressus,
iugis pœnitentia se subdat.

Ex pœni-
tentiali
Romano

D. BVRCHARDI EPIS. VVORMAC

De illis qui iubentibus dominis suis periurium facerint. Cap. IIII.

*Ex decr.
Pii papæ,
cap. 2.*

Q Vi compulsus à domino peierat se scīens utriquā periuri, & dominus & miles: dominus quia præcepit miles: quia plus dominū, quam animam dilexit: Si liber quodlibet quadraginta dies in pane & aqua pœnitieat, & VII. septuaginta annos. Si seruus eius est, tres quadragesimas & legitimas pœnitieat.

De illis qui peierant se in manu episcopi, aut in cruce consecrata, aut non consecrata.

Caput VI.

*Ex paenitentiali
Theodo.*

Q Vi peierat se in manu episcopi, aut in cruce consecrata, III. annos pœnitieat. Si vero in cruce non consecrata, annum unum pœnitieat. Qui autem factus fuerit, & ignorans se peierauerit, & postea cognovit, tres Quadragesimas pœnitieat.

De illis qui pro vita redimenda periurium fecerint.

Caput VI.

*Ex paenitentiali
Romano.*

Si quis coactus pro vita redimenda, vel pro qualibet necessitate se peierat: quia plus corpus, quam animam dilexerat, tres Quadragesimas. Alij iudicant nos, unum ex his in pane & aqua, pœnitieat.

De illis qui iniusta vota iuramento firmaverint.

Caput VII.

*Ex cōcil.
Toletan.
cap. 9.*

Neceesse enim est, ut male iurans, dignam pœnitentiam agat, eo quod nomen domini contrapunctum illius sumpsit in vanum: quia in Exodo scriptum est: Nec enim insontem habebit dominus eum, qui assumptum nomen domini Dei sui frustra. Et in Leuitico: Non percibis in nomine meo, nec pollues nomen domini Dei tuis: dominus. Malum tamen quod facturum se sacramenta uouerat, omnino non faciat: quia stulta vota frangenda sunt.

De eadem re. Cap. VIII.

*Ex decr.
Fabiani
pa. ca. II.*

Q Vicinque sciens se peierauerit, quadraginta dies in pane & aqua, & septem annos sequentes pœnitentiam, nunquam sit sine pœnitentia, & nunquam in testimonium recipiatur, & post haec communionem penitentiam.

De eadem re. Cap. IX.

Si quis se peierauerit, & alios sciens in periarium duxerit, *Ex decr.*
XL. dies in pane & aqua, & VII. sequentes annos Pelagii
peniteat, & nunquam sit sine pœnitentia. Et alij si conscijs pœn. ca. 11
fuerant, similiter pœniteant: sūn autem, singuli ut periu-
nūm non sp̄ntē commissum, pœniteant.

Quod sic Deus iuramenta perceperit, ut ille cui iurata
fuerint. Cap. X.

Sicut mentiri non potest qui non loquitur, sic peierare *Ex dictis*
non potuerit, qui iurare non appetit. Cauendum igitur S. Isidor.
est iuramentum, nec eo vtendum, nisi sola necessitate.
Non est contra Dei præceptum iurare, sed dum usum iu-
randi facimus, periuriū crimen incurrimus. Nunquam ergo
iurat, qui peierare timet. Multi dum loquuntur, iurare
semper delectantur, dum oporteat hoc tantum esse in ore,
est, est, non, non. Amplius enim quām est, & non est, à ma-
lo est. Multi ut fallant peierant, ut per fidem sacramenti,
fidem faciant verborum: sicque fallendo dum peierant, &
mentiūt, hominem incautum decipiunt. Interdum & fal-
si lachrimis seducti decipimur, & creditur dum plorant,
quibus credendum non erat. Flerunque sine iuramento lo-
qui disponimus, sed incredulitate eorum qui non credunt
quod dicimus, iurare compellimur, taliq̄e necessitate iu-
randi consuetudinem facimus. Sunt multi ad credēdum pi-
gi, qui non mouentur ad fidem verbis. Grauiter autem de-
linquent, qui sibi loquentes iurare cogunt. Quacunque ar-
te verborum quisque iuret, Deus tamen, qui conscientiæ
testis est, ita hoc accipit, sicut ille cui iuratur intelligit.
Dupliciter autem reus erit, qui & Dei nomen in vanum
assumit, & proximum dolo capit. Non est conseruandum
sacramentū quod malum incautē promittitur, veluti si quis
piam adulterā perpetuam cum ea permanendi fidem pol-
licetur. Tolerabilius est enim non implere sacramentum,
quām permanere in stupri flagitio. Iurare, est Dei illa proui-
dentia, quæ statuit non euellere statuta. Pœnitentia autem
Dei, rerum mutatio est. Non pœnitere autem, statuta non
revokeare, ut est illud: Iurauit dominus & non pœnitabit
eum, id est, quæ iurauit, non mutabit.

D. BVRCHARDI. EPIS. VVORMAC

De illis qui scienter se peierauerint. Cap. XI.

Ex pœni- **S**i quis suspicatur quod ad periurium inducatur, & timet
tentiali **E**x consensu iurat, XL. dies pœnitentia, & VII. sequentia
Theodo. annos, & nunquam sit sine graui pœnitentia.

Quod unusquisque ieunus iurare debeat. Cap. XII.

Ex decr. **S**ed & nobis honestum etiam & iustum videtur, ut quia
Cornelii **S**anctis audet iurare, hoc ieunus faciat, cum omnibus
pa. cap. 5 nestate & timore Dei, & vt pueri ante quatuordecim
nos non cogantur iurare.

De eadem re. Cap. XIII.

Ex cœcil. **E**t hoc sancta synodus decreuit, nisi pro pace facient
Aureli. **E**vt omnes fideles ieuni ad sacramenta accedant.
cap. 10. **Q**ualem pœnitentiam periuri accipere debeat.

Caput XIV.

Ex decr. **P**rædicandum est etiam, vt periurium fideles caueant
Eutychia **&** ab hoc summopere abstineant, scientes hoc grande
pa. ca. 26 scelus esse, & in lege, & prophetis, & in Euangeliō prohibi-
bitum. Audiuiimus autem quosdam paruipendere hodi-
lus, & leuem quodāmodo periuris pœnitentiae modum im-
ponere. Qui etiam nosse debent, tales de periurio pa-
tentiam imponere debere, qualem & de adulterio, de ho-
nicatione, de homicidio spontē commisso, & de ceteris
minalibus vitiis. Si quis verò perpetrato periurio, aut quilibet
criminali peccato, timens pœnitentiam longam, in
confessionem venire noluerit, ab Ecclesia repellendus
sive à communione & consortio fidelium, vt nullus cum
comedat, atque bibat, neque orēt, neque in sua domo
recipiatur.

*De illis qui per capillum Dei, aut caput iurant, vel
alio modo blasphemia contra Deum immortalē
vtuntur. Cap. XV.*

Ex decr. **S**i quis per capillum Dei, vel caput iurauerit, vel alio mo-
Pii papæ **dio blasphemia contra Deum usus fuerit, si est ex Ecclesi-
cap. 5. **a**stico ordine deponatur: si laicus, anathematizetur:
quis per creaturas iurauerit, acerrimè castigetur, & iuxta
quod synodus dijudicauerit pœnitentia. Si quis autem talis
hominem non manifestauerit, non est dubium quod ex
uina condemnatione similiter coerceatur. Et si episcopus
ista emendare neglexerit, à synodo corripiatur.**

De iuramento Herodis. Cap. XVI.

VM iuramento pollicitus est Herodes saltatrici da- *Ex dictis*
re quocunque postulasset ab eo. Si ob iuriandum *Hieron.*
fecisse se dicit: si patris, matrisque interitum postulasset,
facturus esset, an non? *Quod in suis ergo repudiaturus*
fuit, contemnere debuit, & in propheta.

De illis qui odium sempiternum inter se iuramento
firmauerint. Cap. XVII.

VI sacramento se obligauerit, ut litiget cum quo- *Ex cōcil.*
libet, ne ad pacem vlo modo redeat, pro' periurio, *Hilervdē.*
vno anno à corpore & sanguine domini segre- *cap. 6.*
getur, & reatum suum ieuniis & eleemosynis absoluat:
ad charitatem verò, quæ operit multitudinē peccatorum,
celeriter redeat.

De illis qui incaute iurauerint.

Caput XVIII.

S aliquid fortè nos incautius iurasse contigerit, quod *Ex decr.*
obseruatum peiores vergat in exitum, illud consilio *Sotheris*
salubriori mutandū nouerimus, ac magis instante neces- *pap. ca. 3.*
itate peierandū nobis, quām profecto iuramento in aliud
crimen maius esse diuertendum.

Qualiter sacerdotes iurare debeant.

Caput XIX.

C ornelius episcopus, Rufo coepiscopo in domino sa- *Ex epist.*
luteim. Exigit dilectio tua, frater charissime, ut ex au- *Cornelij*
thoritate sedis apostolicæ, tuis deberemus consultis re- *pap. cap.*
spondere. Quod licet non prolixè, sed succintè agere fe- *3.*
stinaremus, propter quasdam importunitates quæ nostris
præpedientibus peccatis in nos superuenere, tuis tamen
per reliqua sanctorum patrum instituta studiis perquirere
latius, & inuestigare committimus. Non enim potest mens
attrita & oneribus, atque importunitatibus grauata, tan-
tum boni peragere, quantum delectata & oppressionibus
soluta. Non ergo ista ob id prætulimus, ut hæc & alia quæ
necessaria fore cognouerimus, tue sanctitati velimus de-
negare: sed quod hic minus inuenitur, latius perquiratur.
Sacramentum autem haec tenus à summis sacerdotibus, vel

EE

D.BVRCHARD. EPIS. VVORMA.

reliquis Dei ministris exigi, nisi pro fide recta, minime cognouimus, nec sponte eos iurasse reperimus. Summopere ergo sanctus Iacobus Apostolus prohibens sacramentum, loquitur dicens: Ante omnia, fratres mei, nolite iurare, neque per cœlū, neq; per terram, neque aliud quod cunque iuramentum. Sit autem sermo vester, est, est, non, non, ut non sub iudicium decidatis. Et dominus in Evangelio ait: Audistis quia dictum est antiquis, non pepercisti: reddes autem domino iuramenta tua. Ego autem dico vobis, non iurare omnino, neque per cœlū: quia planus Dei est, neque per terram: quia scabellum pedum est, neque per Hierosolymam: quia ciuitas est magnis, neque per caput tuum: quia non potes unum capillum album facere, aut nigrum. Sit autem sermo vester, est, non, non. Quod his autem abundantius est, à malo est, & ab exigente, & à iurante. Hæc, frater charellus, ipse dñs prohibet, id est, non debere iurare. Hæc apostoli maximè omnes, haec sancti viri prædecessores nostri, huic sanctæ vniuersali Ecclesiæ apostolicæ præfuerunt prophetæ, & reliqui sancti doctores per vniuersum mundum dispersi ad prædicandum, iuramenta fieri verat. Quorum nos exempla, si cœperimus numerare, aut in schedis hac inserere, ante deficeret dici hora, quam corum exempla, de hac causa prohibita. Quæ nos sequentes sancti apostolorum, eorumq; successorum iura firmamus, & cramenta incauta fieri prohibemus. Vnde & ipse dominus in tabulis lapideis quas Moysi dedit, propria manus posuit, dicens: Vide, ne assumas nomē domini Dei tui innum, & reliqua. Unusquisque enim in propriam conscientiam mundam debet seruare Deo, & in memoria retinere quod mentitur, occidit animam. Et Apostolus ait: Longimi veritatem unusquisque cum proximo suo, quoniam sumus in unicem membra. Et alibi: Nolite mentiri in unicem membra. Hæc præcepta sunt saluatoris, hæc prophetarum, hæc sanctorum patrum instituta. Quæ si quis in vanum querit, hostis est an imæ suæ: quia nemo contra prophetam, nemo contra apostolum, nemo contra Euangeliū faciat aliquid absque periculo.

Quo tempore iurare liceat. Cap. XX.

Decreuit sancta synodus, ut à septuagesima usque in
Octauas paschæ, & ab Aduentu domini usq; post con- *Ex cœcil.*
secratos dies, necnon & in iejuniis quatuor temporum, & *apud san-*
in Letania maiore, & in diebus Rogationum, & in diebus *Etū Me-*
dominicis, nisi de concordia & pacificatione, nullus su- *dardum,*
per sacra iurare præsumat. *cap. 4.*

De illis qui sacramentum regis violent. Cap. XXI.

Si quis laicus iuramentū violando prophanat, quod re- *Ex dictis*
sgi, & domino suo iurat, & postmodū peruersē eius re- *August.*
gnū, & dolosē tractauerit, & in mortē ipsius aliquo ma-
chinamento insidiatur: quia sacrilegium peragit, manum
suam in Christum domini mittens, anathema sit, nisi per di-
guam poenitentiæ satisfactionē emendauerit, sicuti con-
stitutum à sancta synodo est, id est, seculum relinquat, ar-
ma deponat, in monasterium eat, & poeniteat omnibus
diebus vitæ suæ. Veruntamen communionem in exitu vi-
tae cum Eucharistia accipiat. Episcop⁹ verò, presbyter, vel
diaconus, si hoc crimen perpetrauerit, degradetur.

*De illo qui audierit vocem peierantis, et
affensem præbet.* Cap. XXII.

ANIMA quæ peccauerit, & audierit vocem peierā. *In Lesi-*
atis, & testis fuerit, aut ipse viderit, aut conscientius erit, *tico legi-*
tis indicauerit portabit iniquitatem. *ltur.*

*De hoc, quod Apostolus spiritum sanctum
testificatus est.* Cap. XXIII

Veritatem dico in Christo, non mentior, testimonium *Aposto-*
michi redente conscientia mea in spiritu sancto. *lus dicit.*

De eadem re. Cap. XXIV.

Hieronymus dicit: Iesum testor, & sanctos angelos *Ex dictis*
Heius. *Hierony.*

Dicitur: Quod definitio inculta soluenda sit. Cap. XXV. *Ex cœcil.*
Definitio inculta laudabiliter soluenda, nec prævari- *Hibern.*
catio est, sed temeritatis emendatio. *cap. 1.*

De eadem re. Cap. XXVI.

Si puella sita in puerili ætate in domo patris, illo ne- *Ex eodē;*
sciente se iuramento constrinxerit: & si pater statim, *cap. 3.*
ut audierit, contradixerit, vota eius & iuramenta irrita-
erunt, & facilius emendabitur.

D. BVRCHARDI EPIS. VVORMAC.

De eadem re. Cap. XXVII.

Ex cōcil. **I** Vramentum filii, aut filiae, nesciente patre, & vota mo
Aurelia. nachi nesciente abbate, & iuramēta pueri, irrita sunt,
cap. 2.

Quod omnibus modis cauedum sit mendacium.

Caput XXVIII.

Gregor.
dicit.

NO L I fili negare gratiā dei, ne incurras pro bono in
malum, pro humilitate in mendacium'. Cauendum
nanque est omnibus modis mendacium, siue pro malo, si-
ue etiam pro bono proferri videatur: quia omne mende-
cium non est ex Deo, sed sicut Saluator dicit, à malo est.

Item de iuramento. Cap. XXIX.

Ex cōcil.
Toletan.

ETENIM dum peierare compellimur, creatorē qui-
dem offendimus, sed nos tantummodo maculamus,
cūm verò noxia promissa compleimus, & Dei iussa super-
bē contēniimus, vt proximis impia crudelitate noceamus,
& nosipso crudeliore mortis gladio trucidam⁹. Illic enim
duplici culparum telo percutimur, hic tripliciter ingula-
mur. Restat ergo, vt eò nostra perget sententia, quò milia
ricordiæ patuerit via. Quæ ita domino probatur accepta,
vt plus eam cupiat, quām sacrificia veneranda, dicēte ipse.
Misericordiam volo, & non sacrificium. Hac indulgentia
concessa licentia, miserationis ipsius opus in gloriosi pri-
cipis potestate redigimus: vt quia Deus illi miserandis
ditum patefecit, remedia pietatis ipse quoque non den-
get. Quæ ita principali discretione moderata perficiantur,
vt & illis ita sit misericordia contributa, vt nusquam gen-
aut patria, per eosdem, aut periculum quocunque perfec-
rat, aut iacturam. Hæc miserationis obtentu téperafe sub-
ficiat, cæterumque iuramenta pro regiæ putestatis salute,
vel constitutione gentis & patriæ, quæ hactenus sunt ex-
æcta, vel deinceps extiterint exigenda, omni custodia, om-
niqve vigilantia indissolubiliter decernimus obseruando
men brōum truncatione, mortisque sententia, religio-
ne penitus absoluta, sed ne prauarū mentium versuta ne-
quitia, nosmet ad perjurii aliquando prouocet culpam, nec
à sanctæ fidei regula hanc' afferat venire sententiam: tam
diuinæ authoritatis oracula, quām præcedentium patrum

huic narrationi curauimus innectenda. Sic enim per Hieremiam dixit: Repente loquar aduersus gentem, & aduersus regnum, ut eradicem, & disperdam illud. Si poenitentiam egerit gens illa à malo suo, quod loquatus sum aduersus eam, agam & ego poenitentiam super malo quod cogitavi, ut facerem ei. Et per Ezechiel: Si dixero, inquit, iusto quod vita viuat, & confisus in iustitia sua, fecerit iniuritatem, omnes iustitiae eius obliuioni tradentur: & in iniuritate sua quam operatus est, in ipsa morietur. Si autem dixerim impio, morte morieris, & egerit poenitentiam: vita viuet, & non morietur. Si ergo nostra conuersatio, sic diuinam mutat sententiam: quur miserorum tantæ lachrymae, vel pressura, tam crudam non temperent ex miseratione vindictam? Hinc etiam populo Israëlitico saepe ultio promissa suspenditur, & Ninivitarum perditio diuinæ sententiae permutatione sedatur. Nam sanctus Ambrosius in libro tertio de Officiis, ita ait: Purum igitur ac sincerum oportet esse affectum, & unusquisque simplicem sermonem proferat. Vnde suum in sanctitate possideat, ne fratrem circumscriptione verborum inducat. Nihil promittat in honestum, ac sibi promittere querat. Tolerabilius est promissum non facere, quam facere quod turpe fit. Sæpe plerique constringunt se iuris iurandi sacramento, & quum ipsis cognoverint promittendum non fuisse ius sacramenti, tamen contemplatione faciunt quod sponderunt, sicut de Herod e supra cripsum, qui saltatrici præmium turpiter promisit, crudeliter soluit. Turpe, quod regnum pro saltatione promittitur: crudele, quod mors prophetæ pro iuris iurandi religione donatur: quanto tolerabilius tale fuisset periurium sacramento? Et post pauca, de Iepte discernens. Miserabilis necessitas, quæ soluitur parricidio. Melius est non vouere id, quod sibi cui promittitur, nolit exsolvi. Et post paululum: Non semper igitur promissa solueda omnia sunt. Denique ipse dominus, sicut scriptura indicat, frequenter suam mutat sententiam. Vir quoque sanctissimus Augustinus inuestigationis acumine acutus, inueniens arte præcipius, asserendi copia profluus, eloquentia flore venustus, sapientiae fructu fœcundus, hæc in suis narrat affectibus. Duo sunt enim omnino genera mendaciorum, in quibus non magna culpa est, sed tamen non est

D. BVRCHARDI EPIS. VVORMAC.

fine culpa, cùm aut iocamur, aut cùm promittimus, mentimur. Illud primùm in iocando, ideo non est pernicioſum, quia non fallit. Nouit enim ille, cui dicitur, iocosa esse dictum. Secundum autem ideo mētitus est, qui retinet nonnullam benevolentiam. Idem ipse alibi, non ferat, inquit, veritas misericordiam, non ambulabit in domini, in qua misericordia & veritas obuiauerunt sibi. Hinc beatus Papa Gregorius, in libris Moralium, sic ait: Cùm mens inter minora, & maxima peccata constringatur, si omnino nullus sine peccato euadendi aditus patet, minora semper eligātur: quia & qui murorum ambitus, se fugiat, clauditur, ibi se in fugā præcipitat, vbi brevior mors inuenitur. Hinc & Isidorus ait: Tolerabilius est enim non implere sacramentum, quam permanere in stupri fugitio. Similiter in Synonimis: In malis promissis, rescinde fidem. In turpi voto, vt à decreto quod incaute nouisti non facias. Impia est promissio, quæ scelere adimpletur. Vnde necesse est, vt in male iurans, dignam pœnitentiam agat, eo quod nomen domini contra præcepit illius sumpsit in vanum, quia in Exodo scriptum est: Nec enim a son tem habebit dominus eum, qui assumpferit nomē domini Dei sui frustra. Et in Leuitico: Non peierabis in nomine meo, nec pollues nomen domini Dei tui, ego dominus. Tamen malum quod factum se sacramēto denovat. omnino non faciat: quia stulta vota frangenda sunt.

FINIS Libri duodecimi.